

22,6 x

J a h r e s b e r i c h t

über den

S c h u l c u r s u s 1844 - 1845

am

Königlichen Gymnasium zu Bonn.

Von

Nicol. Jos. Biedermann,

Direktor des Gymnasiums.



I n h a l t.

- 1) Vindiciarum Virgilianarum specimen. Scripsit Io. Freudenberg, super. ord. praeceptor.
2. Schulnachrichten.

B o n n,

gedruckt bei Carl Georgi.

960
9 (1845)

22,8 x

Jahresbericht

über den

Schuljahr 1844-1845

an

Königlichen Gymnasium zu Bonn

Von

Herrn Dr. Riehm, Direktor des Gymnasiums



Table

- 1) Verzeichnis der Schüler des Gymnasiums
- 2) Verzeichnis der Lehrer
- 3) Verzeichnis der Beamten

Bonn

Verlag von Carl Georg

Omnium, quos fortuna nobis servavit, veterum scriptorum Virgilium eum esse constat, cuius vera manus Mediceï codicis longe illius quidem antiquissimi et emendatissime scripti auxilio et possit restitui, et egregiis Burmanni, Heynii, Iahnii, inprimis vero Philippi Wagneri curis ita fere restituta sit, ut iam nihil relinquatur, quam ut praestantissimi huius libri lectiones recte explicentur et illustrentur. Quamobrem sane permirum est, quod nuper exstitit in Batavia vir et doctrina et ingenii acumine excellens, *Hofman Peerlkampius*, qui eandem, qua paulo ante in Horatii carminibus recensendis vel potius decurtandis usus erat, criticae exercendae licentiam atque temeritatem, neglecto illo doctissimorum hominum consensu, in Virgilii quoque carmina transferendam esse ratus Aeneidem innumeris mendis et interpolationibus refertam esse affirmaret*). Atque ad tantam temeritatem vir doctus Marklandi potissimum auctoritate commotus esse videtur, qui in praefatione ad Statii silvas scripsit: »Ut quod censeo sine ambagibus proferam, addo: plurima esse in isto poemate, quae, si ego (pessimus omnium poeta) versus scriberem, nollem in meis conspici. Et licet numero infinita ultra humanae imitationis metas in illo emineant, nonnulla tamen sunt contradictoria, multa languida, exilia, nugatoria, spiritu et maiestate carminis heroici defecta, quae si perfecti operis signa sunt, sit per me quantum libet perfecta Virgilii Aeneis. Non solus ita censeo: immo hoc sensisse videtur ipse Virgilius, optimus certe sui index; aut quare flammis aboleri iussit hoc opus?« Sed quod ferme fieri solet, ut qui novas magnorum

*) Prodiit editio Lugduni Bat. anno 1843 sub titulo: P. Virgilii Maronis Aeneidos libri XII. Edidit et annotatione illustravit P. Hofman Peerlkamp. II. tomi. Huius libri censuram egerunt Iahnus in *novis annal. phil. et paedag.* a. 1845, T. XLIII. p. 3—53, et Ladeoigius in *ephem. litt. Jenens.* a. 1845. sched. 86 sqq. Adnotationes in Aeneidos ab Hofman-Peerlkampio editae librum I, quas scripsit Io. Siebelis in programme Hildburg. a. 1845, nondum ad me pervenerunt.

hominum sententias sectantur, longius quam illi ipsi audaciae procedant, idem accidit Peerlkampio, qui eam Virgilii carminum praestantiae ac perfectionis speciem animo sibi informavit, ut omnia, quae Marklandus in Aeneide culpavit, non Virgilio ipsi, sed interpolatoribus tribuenda esse arbitraretur. Neque vero ad hoc crimen tam novum et inauditum comprobandum ullum attulit testimonium ex antiquitate petitum, sed cum Plinius (N. H. VII, 31.), A. Gellius (N. A. XVII, 10.) et Donatus (in vita Virg. c. 14, §. 53.) Virgilium tradiderint morientem a Plotio Tucca et C. Vario amicis petivisse, ut Aeneida, quam nondum satis elimasset, abolerent, ac precibus demum illorum victum ab isto consilio destituisse scriptaque sua sub ea condicione illis legasse, ne quid adderent, quod a se editum non esset, et versus etiam imperfectos, si qui essent, relinquerent: Peerlkampius mirifice confinxit, Tuccam et Varium iam multa in Aeneide supplevisse, et composita ex codice Virgilii editione sua ipsum manuscriptum combussisse, ne scilicet comparatio et iudicium de re gesta institui posset. Quod quidem commentum, quo Virgilii amicis honestissimis non servatae fidei ignominia inuritur, quam sit omni veritatis specie destitutum, Quintiliani I, 7, 20, et Gellii N. A. II, 3. testimoniis demonstratur, quorum ille Virgilii *manum* diserte laudat, hic „librum Aeneidos secundum mirandae vetustatis, emptum in Sigillariis XX. aureis, quem ipsius Virgilii fuisse credebat“ (Fidus Optatus grammaticus), se vidisse memorat. De parte, quam Tucca et Varius in edenda Aeneide habuerint, conferas *Weichertum de C. Varii et Cassii Parmensis vita et carmm.* p. 68 sq. Atque Peerlkampius in hac re ipse adeo non sibi constat, ut alio loco poetas grammaticos Tuccae et Varii nomine ad ipsorum fraudes celandas abusos esse contendat. Quinam isti grammatici fuerint, ne verbo quidem memorat; sed quum Virgilii carmina iam ab Ovidio aliisque Augustei aevi poetis imitando expressa esse constet, versusque Aeneidos a Seneca, Gellio, aliis passim laudentur, istam interpolationem antiquiorem esse fatetur horum scriptorum aetate et in prima post editam Aeneidem tempora referendam. Quod quidem ut cuiquam persuadeat, magnopere vereor: quum enim Virgilii Aeneis, Suetonio teste (de ill. gramm. c. 16.), Augusto etiam vivente Ennii loco in scholis praelegi et enarrari coepta sit, qui quaeso fieri potuit, ut vel minima fraus plurimos et doctissimos Virgilii amatores fugeret?

His igitur commentis fisis novus Aristarchus Virgilio carmine pro arena usus esse videtur, in qua ingenii et acuminis ostentandi causa, quidquid summae illius Virgilio praestantiae formae, quam animo concepit, repugnaret, ex suo sensu pro arbitrio vel corrigeret vel obelo confoderet. Quod quidem novandi studium quousque processerit, iam inde intelligitur, quod praeter quatuor episodica maiora, quibus Virgilius poema suum distinxit, (A. II, 567—623. de Helena, VI, 337—383. de Palinuro, ib. V. 494—547. de Deiphobo, denique IX, 581—663. de Ascanii rebus gestis), trecentos fere versus et hemistichia interpolata esse duxit, ac praeterea plus ducentos locos coniectura tentavit.*) In hac poetam castigandi licentia quoniam difficile est ad certas omnia, quae novata sunt, rationes revocare, tria tamen potissimum genera, in quibus critica Peerlkampii ratio maxime cernitur, internosci possunt. Unum genus pertinet ad carminis epici cum compositionem tum universam orationem, cuius quum perfectam quandam et omnibus numeris absolutam speciem ille sibi finxerit, quidquid cum illa non convenit, in suspicionem ac dubitationem vocatur. Ad hoc genus plures loci numerandi sunt, ubi poeta narrationem vel locorum, vel temporum, vel personarum descriptionibus exornavit, qui quidem, mos tam frequens fuit apud veteres et poetas et prosae orationis scriptores, ut, quomodo Peerlkampius offendere potuerit, iure mirandum sit. Conferas quae Iahnus de hoc usu docte disputavit in censura ed. Peerlk. l. l. p. 18. et 35 sq. Deinde huc spectat haud parvus locorum numerus, ubi poeta, cui iam veteres insignis doctrinae rerumque antiquarum scientiae laudem merito tribuerunt**), res paulo reconditiores, quae doctum poetam sapiant, carmini suo intexit, ut A. III, 700: *et fatis nunquam concessa moveri — Caarina*, et ib. v. 702. *Immanisque Gela a fluvio cognomine dicta*; quae qui a poetae ingenio aliena esse putat, nae ille Virgilianae poeseos, quae magis doctrinae studio quam ingenii flumine nata sit, naturam parum perspectam habeat necesse est. Conferas etiam VII, 226 sq., VIII, 149 sq. 268—72. IX, 170. et

*) Qui plura et accuratiora scire cupit, adeat censuram, quam supra laudavi, Iahnii l. c. p. 15 et 50.

**) Cf. Niebuhrii hist. roman. T. I, p. 318 ed. tert.

X, 76. Tum huc pertinent loci plurimi, in quibus Virgilius aequalium suorum, qui populi Romani maiestatem atque gloriam laudibus efferri impense cuperent, sensui obsecutus suae aetatis mores atque instituta antiquitati tribuit; cuius quidem rei aliquot insignia exempla infra tractabuntur, quae sunt de coloniis condendis. Postremo huic generi plures loci subiiciendi, ubi comparationes inveniuntur; quarum naturam adeo non Peerlkampius intellexit, ut omnia, quae praeter necessitatem poeta, qui cum in multis aliis tum in hac quoque re Homerum auctorem secutus est, exornandi et amplificandi causa addidit, ut supervacanea et a proposito aliena pro interpolatis haberet. Quae quidem interpolationum species satis frequens quum digna sit, in quam diligentius inquiratur, omnes locos, quos Peerlkampius in dubitationem vocavit, huc apponamus. Sunt vero hi: A. IV, 149 sq. ib. 256—8; VII, 377. 587. 589 sq. IX, 711—13., X, 263 sq. 695 sq. 803—9; XII, 7 sq. 210 sq. 367. 454 sq.

Alterum autem genus, quod singulorum verborum dictionumque est, continetur maximam partem elegantiarum quodam studio et verborum aucupio, quod cum totum fere ad sensum redeat neque certis legibus astrictum sit, non est mirandum, quod hinc maxima Peerlkampii coniecturarum et commentorum copia repetenda est. Ad hoc genus, quod natura infinitum est, ut exemplum afferam, ii loci pertinent, in quibus idem verbum brevi intervallo repetitur, ut A. I, 427. IV, 1, ubi Peerlkampius offensus temere ad coniecturas confugit. At vero poetas a tali cum singulorum verborum tum totorum versuum repetitione minime abhorrere, a viris doctis, Weicherto (*de versibus iniuria suspectis*), Paldamo, Iahnio, aliis, luculenter demonstratum est. Conf. *Iahn.* ad A. I, 316. et ad Ge. II, 129. (ed. alt.) Tertium denique correctionum genus repetendum est a loquendi usu Virgiliano vel neglecto, vel non recte perspecto, quo in genere vix credibile est, quam saepe criticus Batavus, qui sive incuria, sive fastu quodam quae iam alii VV. DD. de Virgilio optime meriti, inprimis *Iahnus* et *Wagnerus*, hoc in genere ad liquidum perduxerunt, non respiceret, in gravissimos errores inciderit.

Haec, credo, sufficiunt ad criticae Peerlkampianae rationem sive licentiam adumbrandam; quibus addamus iudicium ad rem adpositum, quod tulit *Aug. Guil. Zumptius* (De Cic. ad M. Brut. et Bruti ad Cic. Epist. q. v. fer.

Berol. 1845. p. 5.): „Virgilio Peerlkampiano nihil potest cogitari magis temerarium, in quo quis non doleat tantum studii tantumque acuminis consumptum esse, ut tam nihil efficeretur?“

Iam accedamus ad id, quod nobis propositum est, ut quae de Peerlkampii criticae exercendae ratione in universum disputavimus, insignibus aliquot exemplis afferendis comprobemus. Qua in re ita versabimur, ut non singulorum generum descriptionem quam proposuimus, religiose sequamur, sed librorum, Aeneidos ordine servato de singulis locis difficilioribus disceptemus, et ubi locus datur, ea, quae ad idem genus pertineant, in uno quasi conspectu collochemus.

Aen. lib. I, 4.

Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram.

In hoc versu, quem ad unum omnes codices tuentur, Peerlkampio tria potissimum displicent, primum Iunonis ira brevi intervallo sexies commemorata, hic, v. 9, v. 11, v. 25, v. 29 et v. 36; deinde quod Iuno Aeneam non minus in ipsa Italia vexaverit, quam *dum terris et alto iactaretur*; tum difficile dictu ei videtur, quae sit illa *vis superum*. Quibus causis commotus totum versum interpolatum esse, eoque eiecto orationis cursum longe expeditiorem fore sibi persuadet. Quorum argumentorum primum et alterum quam parum valeant quum *Iahnus* in censura editionis Peerlkampianae l. c. p. 21 sqq. luculenter demonstraverit, equidem iterum ea refutandi opera libenter supersedeo statimque ad illud, quod tertio loco V. D. posuit, disceptandum accedo. Iam igitur quaeritur, quid sibi velint verba *vi superum*, in quibus explicandis interpretes in diversas sane partes abierunt.

Atque Servius duplicem interpretandi rationem proposuit: „violentia

deorum, secundum Homërum, qui dicit a Iunone rogatos esse deos in odium Troianorum —, et vi, quam superi habent“; Heynius simpliciter explicat: numine ac voluntate deorum: „ἐκ θεῶν, ἐκ θεῶν“; *Wagnerus* et qui eum secutus est *Thielius* vocem *superum* ad unam Iunonem referendam ac pluralem „numerum ex loquendi usu haud infrequenti pro singulari positum esse existimant. Qua quidem interpretandi ratione, in qua molesta inest tautologia, repudiata *Iahnus*, quod verba *vi superum* et *saevae memorem Iunonis ob iram* contraria significare eamque ob rem disiungenda esse iam ex casuum diversitate intelligatur, illis verbis Aeneae errorum causam, his vero *Iunonis ob iram* finem atque consilium contineri vult, ut totius loci haec sententia existat: „Aeneas multum et terris et mari iactatus est violentia deorum, qui ipsum, quas sedes sibi fatales quaereret, incertum, in diversas terras compelli indeque exagitari patiebantur, ut atrox Iunonis ira expleretur.“ Hanc autem explicandi rationem commendari putat orationis quadam concinnitate, quippe quum versu proximo pariter *bello* vocabulum et *dum conderet urbem* inter se opponantur. Cuius quidem interpretationis summa ut mihi probatur, ita displicet minuta illa colorum oppositio. Quid enim obstat, quominus verbis *vi superum* omnino rei gerendae modum atque rationem indicari, his autem *s. mem. Iun. ob ir.* causam subiici putemus principalem, propter quam Aeneas terra marique circumactus gravissimos labores exantlaverit? Iam si quaeris, quinam superi hoc loco intelligendi sint, poeta ne ipse quidem indicavit, sed in ambiguo reliquit, quae quidem ambiguitas in carminis exordio poetae consilio, qui legentium animos expectatione suspendat, quam maxime est accommodata.

At vero quum praeter unam Iunonem nullum ex superis Aeneae infensum fuisse omnesque in servando et in Italiam deducendo Aenea consensisse ex toto carmine appareat, primum *Franciscus Gallus*, professor Leodiensis, (in *ephem. litt. Ienens.* a. 1828. *Intelligenzblatt.* sched. 15. p. 119.), verba *vi superum* plane contrarium atque vulgo interpretarentur significare sibi persuasit, et Graecorum in formulis *βία νόμου*, *βία τῶν πολιτῶν*, i. e. „contra legem, in vitis civibus“ analogiam secutus explicavit *contra voluntatem deorum, magno cum dolore deorum*. Quam quidem interpretationem ita probavit *Gossravio* (*Comment. in Virgil. Aen. inserta programmati Quedlinburg. 1843. p. 4 sq.*),

ut hic alteram [*a diis, potentia deorum*] cum totius carminis consilio, tum omni (sic!) antiquitatis de Diis opinioni repugnare contenderet. Quum enim multi veterum *fati* nomine iam divinam providentiam, seu summum numen venerati sint, fato adversari in singulos tantum deos cadere posse arbitratur, nec vero in cunctos, quippe quorum sit fatorum ordinem exsequi et ad finem perducere. Qua in argumentatione V. D. quae sit *fati* apud Virgilium vis ac natura eiusque cum Diis, inprimis cum Iove necessitudo, haud recte perspexit. *Fatum* enim Virgilianum primum idem est, quod dictum, effatum, oraculum, quo deorum voluntas monstratur, ut A. II, 7: *incerti, quo fata ferant*, III, 444: *fata canit*, et V, 703: *oblitus fatorum*; deinde significat necessitatem quandam divinam, immutabilem quandam rerum ordinem, qui quidem ita cum Iovis numine coniunctus est, ut fata ab ipso disponi atque ordinari dicantur. Conferas A. I, 257 sqq. quae Iuppiter ad Venerem consolandam dicit: *manent immota tuorum Fata — neque me sententia vertit* A. III, 559: *Sic fata deum rex Sortitur*, et A. X, 31 sq. Hanc fatorum necessitatem ut nunquam penitus immutari fas est, ita potest differri ac retardari, id quod ipsa Iuno concedit A. VII, 314 sq.: *Atque immota manet fatis Lavinia coniux. — At trahere atque moram tantis licet addere rebus.* Vide Servii comment. ad A. VIII, 398. Quae si diligentius consideraveris, iam in eo non haerebis, quod Aeneas superiorum, quos nullo crimine laeserit, potentia circumactus esse dicitur: nimirum ceteri dii, quorum rector ac princeps est Iuppiter, quanquam *fati* voluntatem, qua Aeneae Italia promissa erat, non immutavere, Iunonis tamen, deorum reginae, irae tantum concesserunt, ut Aeneam post longos demum errores in terram a fatis datam pervenire paterentur. Quam in rem conferas A. X, 606—632. inprimis autem A. XII, 803 sq., ubi Iuppiter ad Iunonem haec dicit: *Terris agitare vel undis Troianos potuisti, infandum accendere bellum, Deformare domum et luctu miscere hymenaeos; Ulterius tentare veto.* Sed haec hactenus; unum addo, Gossravii interpretandi rationem [*vi superum* idem esse atque „contra deorum voluntatem“,] vel ideo non habere, quo defendatur, quod eam nullis exemplis ex Latinorum scriptorum usu petitis confirmaverit.

Aen. I, 8 sq.

*Musa mihi causas memora, quo numine laeso
Quidve dolens regina deum tot adire labores —.*

Ad verba *quo numine laeso* Peerlkampius haec annotavit: „Nemo omnium interpretum hoc explicare potuit, ut sic a Virgilio esse scriptum credas. Eum scripsisse credo: *quo crimine laesa. Crimine laesa et numine laeso* non multum differunt.“ Quid aliud est ludere et acumini indulgere, nisi hac ratione scriptoris antiqui verba, quae omnium librorum consensu firmata sint, corrigere? Recte igitur Iahnus l. c. p. 24 sq. Peerlkampii commentum improbat; verum quod idem V. D. sententiam, quam in altera Virgilii editione proposuerat, (*causas mem., quo consilio irrito* et q. s.) retractata, Schirachium secutus novam protulit, mirandum est. Putat enim V. D. si *numine laeso* ad Iunonem referre velis, v. 9. pro *quidve quidque* scribendum esse, quod haec nisi per epexegesin, in qua *que* particula locum habeat, adiungi non possint. Quamobrem ut v. 4. *vi superum a Iunonis ira* separari oporteat, hic quoque *numina laesa a regina deum* discernenda totiusque loci hanc sententiam esse existimat: „causas memora, quodnam numen laesum sit, vel quo dolore Iuno fuerit commota, ut tot tantisque laboribus Aeneam vexaret?“ At vero ne commemorem, hac ratione probata ἀνακολουθίαν in locum inferri a Virgilii loquendi consuetudine alienam, illud vel maxime ei repugnat, quod in ea, quae sequitur, exordii expositione nihil omnino, unde alia quoque numina laesa esse appareat, invenitur, sed omnia ad unius Iunonis iram saevam atque implacabilem pertinent. Deinde quod Iahnus v. 11. verbis *tantaene animis coelestibus irae* ceteros deos quanquam obscure a poeta indicari putat, in hac re haud scio an V. D. praeoccupata opinione inductus sit: haec enim verba ex veterum scriptorum more, ubi unum aliquem, sed suo nomine non definitum significabant, plurali nominum numero utendi, de sola Iunone intelligenda sunt. Quam in rem conferas Wagneri ann. ad A. I, v. 4 et VII, 96: *connubiis* — *Latinis* pro *connubio*; ib. 98: *Externi veniunt generi* pro *generi* i. e. Aeneas; ib. 359: *Exsulibus* — *Teucris*; XI, 784 sq. Denique, id quod gravissimum est, verba *quo num.*

laeso et *quidve dolens* tam arcte inter se copulata sunt, ut separari ea et in duas sententias discerni iam grammatica ratio vetare mihi videatur. Quod ut rectius intelligatur, quinam sit apud Virgilium *ve* particulae usus accuratius videndum est. Qui quum latius pateat pluraque genera complectatur, hoc loco de uno tantum, quod interrogationibus continetur, dicturi sumus. Atque hoc de genere quum Wagnerus in Quaest. Virgil. XXXVI, p. 570 sq. subtilissime disputaverit largamque exemplorum copiam congesserit, ad rem expediendam via nobis praemunita est. Monet igitur V. D. particulam *ve* pariter atque *aut*, rarius autem *vel*, tum fere in interrogationibus usurpari a Virgilio, ubi praegresso pronomini interrogativo alterum subiiciatur. Exempla ubique obvia, ut A. I, 369 sq.: „Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? Quo^{ve} tenetis iter?“ A. I, 539: „Quod genus hoc hominum? quae^{ve} hanc tam barbara morem Permittit patria?“ A. II, 74: „Quo sanguine cretus, quid^{ve} ferat“ —; ib. v. 151: „Quis auctor? Quid^{ve} petunt“, quo loco in editionem Heyniamam contra Medicei fidem irrepserat *que*. Vide Wagner. l. c. n. 5. Praeterea conferas A. I, 369 sq. III, 367 sq. IV, 408. IX, 376. 490. X, 675. Quos quidem locos si accuratius excusseris atque inter se comparaveris, facile intelliges, has particulas, inprimis *ve* voculam, de qua hic agitur, in omnibus non disiunctivam, quae proprie dicitur, sed fere copulativam habere significationem, atque ad duas vel plures res, quae uni generi subiectae sunt, vel quarum altera alteri ut generi species subiungitur, per interrogationem annectendas adhiberi; quo in genere nostrates vel nulla omnino particula, vel copulativa *und* usurpare solent. Itaque I. H. Vossius locum, quem supra laudavi, A. I, 539 bene ita reddidit: „Welch ein Menschengeschlecht? Wo wird so barbarische Sitte Heimisch zu werden erlaubt?“, pariterque in ceteris locis *ve* particulam non expressit. At recte Wagnerus l. c. addit, „apud Virgilium tam constantem hac in re certumque esse usum, ut vel tum *ve* inveniatur, ubi *is*, qui varia quaerit, ad omnia sibi responderi cupiat, non ad partem tantum.“ — Ad rem illustrandam unum exemplum adiiciam, quod legitur A. X, 150 sq.: „Memorat nomenque genusque, quid^{ve} petat, quid^{ve} ipse ferat“, in quo loco quum pronomen interrogativum non praemissum sit, offendere possis; verum priora verba cum Wagnero ita explicanda sunt: „memorat

qui sit, quidve petat.“ Neque erat, quod Iahnus in annot. ad h. l. contra librorum fidem aut „*quidque petat, quidque ip. f.*“ scribendum, aut locum ita interpungendum esse putaret: „Memorat n. genusque; Quidve petat quidve ipse ferat Mezentius, arma Quae sibi conciliet,“ qua quidem ratione totius loci sententiam plane obscurari atque adeo perverti facile intelligitur. Neque enim huc attinet quaerere, quid Mezentius, qui societatem cum Turno inierit (A. VIII, 492 sq.), sed quid Aeneas, qui Tarchonis Tyrrheni auxilium imploraturus Agyllam se contulit, *petat feratve*, quae est sollemnis formula de supplicibus vel auxilium rogantibus; conf. A. II, 74 sq. De *ve* particula cum *que* permutata compares, *Wagneri* Q. V. l. c. p. 573 sq. et *Dillenburgeri Quaest. Horat.* p. 104*).

Iam ut eo, unde longius digressa est, oratio revertatur, ex iis, quae demonstravimus, illud efficitur, constantem apud Virgilium consuetudinem flagitare, ut nostro quoque loco *quo num. laeso* et *quidve dolens* non divellenda, sed duas res, quae uni generi subiectae sint, designare statuamus. Atque si quae sequitur inde a versu duodecimo expositionem diligentius consideraveris, duabus potissimum causis Iunonis iram contra Aeneam concitatam esse invenies, pri-

*) Hoc loco non alienum est monere, etiam apud ceteros poetas Latinos particulae *ve* ita usurpatae, quanquam rarius, exempla inveniri. Ex *Lucretio de rer. nat.* conferas V, 48: „*Quidve superbia*“ et q. s., v. 177: „*Quidve mali fuerat nobis nonesse createis*“ et v. 185: „*Quove modo est unquam vis cognita principiorum*“ *Horatii* locos hos notavi, *Carm.* IV, 13 17: „*Quo fugit venus, heu, quove color*“ *ib.* 14, 1: „*Quae cura patrum, quaeve Quiritium*“ Apud *Propertium* *El.* II, 16, 1—3. legitur: „*Quid spes? — Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas*“ *ib.* II, 7, 66: „*Hic ubi tum, prohi di, perfida, quisve fuit*“ Apud *Ovidium* hi loci mihi occurrerunt: *Met.* XIII, 225 sq.: „*Quid facitis? Quae vos dementia — Concitat —? Quidve domum fertis decimo nisi dedecus anno*“ *ib.* 516: „*Quo ferrea resto? Quidve moror? quo me servas, damnosa senecta*“ Apud *Statium* hos locos inveni: *Theb.* II, 334: „*Quos callide motus, Quamve fugam moliris*“ *ib.* 535: „*Ac prior: unde viri? quidve occultatis in armis*“ VII, 523: „*Quid me, oro, decet? quidve ista, Pelasgi, Ubra*“ Denique non est praetereundum, ne *Livium* quidem, qui saepius poetas aemulari studet, ab hoc *ve* particulae in interrogationibus usu abhoruisse. *Conf.* *lib.* I, c. 1: „*Percunctatum deinde, qui mortales essent, unde, aut quo casu profecti domo, quidve quaerentes in agrum Laurentem exissent*“ XXII, c. 6: „*Matronae vagae per vias, quae repens clades allata, quaeve fortuna exercitus esset, obvios percunctantur*“ et c. 11. in. — „*Tum de bello reque publica dictator retulit, quibus quotve legionibus victori hosti obviam eundum esse Patres censerent*“

num metu, ne Troianorum progenies Carthaginem aliquando, ipsi carissimam, eversura esset, qua quidem re ipsius numen laedi necesse erat; deinde dolorem eius accenderunt *iudicium Paridis et rapti Ganymedis honores* (v. 25 sq.).

Quae quum ita sint, totum locum cum *I. H. Vossio* (Randglossen zu Griech. und Röm.) eumque qui secutus est *Abr. Vossio* (Annot. ad Virgil. Aen. in progr. Cruceac. a. 1832.), *Süpfleo* et *I. F. Wagnero* (cf. disput. de loc. quibd. apud Virgilium ratione etymologica expediendis. Luecb. 1833. p. 4.), qui *numen* h. l. de voluntate et consiliis (Willensrichtungen und Bestrebungen) intelligendum esse docuerunt, pariter atque A. I, 133. II, 123. 177. III, 359, ita interpretandum duco: „Causas memora, Musa, quo consilio inceptoque ad irritum redacto, vel quo dolore Iuno concitata fuerit, ut virum impelleret“ etc. Aliam *Langius* (Vindic. trag. rom. p. 50.) et *Philippus Wagnerus* (in Heyn. ed.) interpretationem proposuerunt, a sententia satis illam quidem commendabilem: „*quomodo* laeso eius (scrib. *ipsius*) numine“ et q. s. Sed eam quominus veram esse credam, illud me impedit, quod usum illum loquendi, quo „pronomen relativum *qui* cum substantivis ita non raro iungi solere statuunt, ut modum, quo quid fiat similesque notiones includat,“ exemplis iis, quae in hanc rem attulerunt, Ge. II, 269 sq. A. XI, 399. VI, 78 sq. et id genus aliis, auctore Iahnio (ad Ecl. I, 19. p. 356.) non ita munitum esse arbitror, ut res ad liquidum perducta sit. Neque quam olim excogitaveram rationem, ex qua verba *numine laeso* pro *numinis* i. e. divinitatis *laesione* ita accipiantur, ut in unam quasi notionem coalescant, nunc tueri ausim, quod hoc structurae genus ut Virgilianum sit verendum est.

Aen. I, 286 sq.

Nascetur pulcra Troianus origine Caesar,

Imperium oceano, famam qui terminet astris,

Iulius, a magno demissum nomen Iulo:

Hunc tu olim coelo spoliis orientis onustum

Adcipies securo; vocabitur hic quoque votis.

Peerlkampius, quod Romani nomen *Caesar Iulius* nunquam nisi de patre,

qui Augustum adoptavit, accepturi fuerint, haec omnia ad neminem nisi ad Augustum referri posse arbitratur, ideoque versum 288 coniectura ita corrigendum censet: *Iulia stirps, magno dem. n. I., i. e. Caesar, filius Iulii, qui Iulium genus ducit ab Ascanio seu Iulo. Quam quidem coniecturam, quae a librorum mss. fide mirum quantum discedit, ut Iahnus in censura ed Peerlk. l. c. p. 39. merito reiecit, ita idem V. D. in loco interpretando a vero aberrasse mihi videtur. Servianis enim, ut videtur, commentariis fretus primum verba *Nascetur p. Troi. or. Caes.* in solum Caesarem convenire putat, quippe qui aperte originem ab Iulo ac Venere deduxerit, nec vero in Augustum, qui tantum adoptionis iure in Iuliam gentem receptus sit. At vero haec dubitatio iam tollitur loco Horatiano, Sat. II, 5, 63 sq. (cf. carm. saec. 50.):*

Tempore, quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto

Demissum genus Aenea, tellure marique

Magnus erit:

nam illic quoque *iuvenis*, quo nomine Augustus indicatur, origo ab ipso Aenea, Iuli patre, repetitur. Nec minus ad rem accommodatus est locus ex nostro, ni fallor, expressus, apud Manilium. I, 796, quem laudavit Peerlkampius: — *Venerisque ab origine proles Iulia descendit coelo coelumque replevit, Quod regit, Augustus, socio per signa Tonante* —, ubi Augusti genus diserte a Venere deducitur. Tum Iahnus, laudans A. VIII, 685 sqq. verba *imperium oceano terminet* ad Galliam a Caesare devictam pertinere, his autem quae subiiciuntur v. 289. *spoliis orientis onustum* ad Antonium et Cleopatram proelio superatos Aegyptumque et Armeniam domitam referri posse sibi persuasit. Qua in re quam lepide festinantia quadam lapsus sit vir alias cautissimus, Caesari scilicet victoriam tribuens de Antonio et Cleopatra reportatam, quae debetur Augusto, ipse non sine risu animadvertet.

Sed restat tertium argumentum, quo Iahnus ad sententiam suam probandam usus est. Negat enim vv. *vocabitur hic quoque votis* eo tempore, quo Aeneis composita sit, de Augusto dici potuisse, qui dum in vivis esset, *Divi* quidem *genus* (A. VI, 790), sed nondum *Divus* appellatus sit. Quae quidem res cum tota ad Augusti ἀποθέωσιν pertineat, iam accuratius atque uberius quaerendum est, qualis ea fuerit et quo tempore apud Romanos increbuerit.

Quod si poetam nostrum ipsum consulimus, iam in ecloga prima v. 7 Octavianum iuvenem Tityrus deum vocat eique, nimirum ut Lari familiari, quotannis *bis senos dies*, id est statuto cuiusque mensis die *altaria fumare* i. e. sacra in altaribus offerri, ut tura, fruges, similia, dicit. In hanc rem compares J. H. Vossii annot. ad h. l. et quae *Hertzbergius* in libro *de Diis Roman. patriis s. de Larum atque Penatium religione et cultu* de Augusto Laris instar a Romanis coli coeptis disputavit p. 47 sq. Deinde quae in Ge. III, 13—36. leguntur: *Et viridi in campo templum de marmore ponam. — In medio mihi Caesar erit templumque tenebit*, nec minus quae poeta ad praedicandum Augustum canit Ge. I, 23—42: *Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum Concilia* —, inprimis versus ultimi: *Iam pridem nobis coeli te regia, Caesar, Invidet* et q. s., satis comprobant, iam illo tempore, quo Georgica absoluta esse veri est simillimum, i. e. a. U. C. 724. (cf. *Iahnii* introd. in ed. alt. p. XXXII sq. et *Weichertii* de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carm. p. 54.) Augusto divinos honores haberi coeptos esse. Praeterea in rem nostram faciunt plures loci Horatiani, ut Carm. IV, 5, 32 sq.: *Te mensis adhibet deum: Te multa prece, te prosequitur mero Defuso pateris et Laribus tuum Miscet numen* —, unde Augusto ut deo Lari in conviviis privatis libatum esse aperte colligitur. (Conf. III, 3, 9 sqq. IV, 14, 43 sq. III, 5, 2 sq.: *Praesens divus habebitur Augustus* et q. s. et inprimis Epist. II, 1, 15 sqq.:

Praesenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per numen ponimus aras,

ad quem locum vide quae *Düntzerus* in commentario crit. et exeget. in Horat. T. IV, p. 197 sq. accurate disputavit.

Huc etiam pertinent plurimi loci apud *Ovidium*, quibus Caesaris Augusti divinitatem concelebrat, ex quorum numero satis est laudasse Trist. III, 1, 27 sq., quo loco Augusti domum, ut Capitolium, Iovis arcem, colendam canit ipsumque v. 76. ita invocat:

Di, precor atque adeo (neque enim mihi turba roganda est)
Caesar, ades voto, maxime Dive, meo.

Confer etiam Met. XV, 768 sq. et 858 sq.

At vero, inquires, hic poetarum aevi Augustei mos, principem illum, qui extinctis bellis ac discordiis terrarum orbem pacaverit ac rem publicam saluberrimis legibus temperaverit, non solum summis laudibus efferendi, sed etiam inter heroas atque adeo inter summos deos referendi, repetendus est ab assentandi quodam et adulandi studio, quo tum temporis homines libertate amissa moribusque luxu et avaritia pessumdatis imbuti erant; neque omnia quae illi ad Augusti laudes celebrandas cecinerunt, ex vero atque incorrupto animi sensu profecta esse putandum est. Quae quidem sententia quum ab ingenio moribusque Virgilii atque Horatii, et probitate et animi candore insignium, quam maxime abhorreat, tum poetas illos nihil hac in re, quod vulgatae consuetudini repugnaret, fecisse, sed communem hominum suae aetatis opinionem secutos esse, gravissimorum auctorum fide probatur.

Quemadmodum enim Iulius Caesar mortuus, *Suetonio* (vit. Caes. c. 88.) teste, in deorum numerum relatus est „non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi,“ ita Caesarem Octavianum, Divi filium adoptivum, iam a. U. 718, Sexto Pompeio devicto, oppidatim inter deos tutelares coli coeptum esse *Appianus* tradit B. C. V, 132, atque *Dio Cassius* LI, 19. diserte memorat, post victoriam Actiacam ex Senatusconsulto institutum esse, ut tam in publicis quam in privatis conviviis ei libaretur eiusque nomen, ut ceterorum deorum, in hymnis inscriberetur. Denique huc pertinet locus *Suetonii* (vit. Aug. c. 52.), ubi Augustus, quanquam in urbe templa sibi poni prohibuerit, in provinciis tamen communi suo Romaeque nomine recepisse traditur; idemque Aug. c. 59. commemorat, provinciarum plerasque super templa et aras in Augusti, a. U. 731. a morbo restituti, honorem ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituisse. — De *apotheseos* natura et causis qui plura legere cupit, adeat *Feldbauschii* libellum *de Horatio Flacco non adulate* p. 3 sq. *Buttmanni Mytholog.* T. I, p. 42 sqq. et *Creuzeri Symbol. et Mythol.* T. I.

Sed ut iam ad propositum, unde longius evagati sumus, redeamus, *verba vocabitur hic quoque votis* quin egregie in Caesarem Augustum convenient, haud facile quisquam dubitabit. Nec profecto poetam nostrum, qui ubicunque locus daretur, dedita opera Augusti laudes celebraret, hoc loco, ubi Iuppiter Veneri Aeneae stirpem immortalem fore promittit, Augustum, Aeneadarum maximum,

qui iam vivus Deorum instar coleretur, vel omisisse, vel obscure tantum indicasse, consentaneum esse videtur. Quin etiam, quanquam lubricum est in talibus vaticiniis singula ad certa tempora revocare, verba *spoliis orientis onustum* illud ipsum tempus designare probabile est, quo Augusto, Antonio et Cleopatra devictis atque Syria Armeniaque domita, ex oriente reduci Senatusconsulto divini honores decreti sunt. Conf. Heyn. ad h. l.

Restat, ut de singulis, quae ad rem pertineant, pauca moneamus. *Accipies secreta* recte Heynius explicavit „Iunone placata“. In verbis *vocabitur hic quoque* particula *quoque* respicit ad ea, quae leguntur v. 259 sq.: *sublimemque feres ad sidera coeli Magnanimum Aeneam*. Denique quae his subiiciuntur v. 291 sq. *aspera tum positis mitescent saecula bellis* — quanquam nomen siletur, quin et ipsa Augusto tribuenda sint, id quod Iahnus quoque concedit, dubitari nequit egregieque confirmatur Virgilii loco illo clarissimo A. VI, 791 sq.:

Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,

Augustus Caesar, Divi genus; aurea condet

Saecula qui rursus Latio regnata per arva.

Aen. II, 12 sq.

Quanquam animus meminisse horret luctuque refugit,

Incipiam.

Peerlkampio hoc loco offensioni est perfectum *refugit* pro praesenti positum: nam „*horret et refugit*, inquit, nemo Romanorum acciperet aliter, quam de eodem praesenti tempore, ac *refugit* pronunciaret media correpta.“ Neque ei placet Heynii explicandi ratio: „ad formam aoristi, cum in re, quae per plura momenta durat, etsi vulgari usu praesens frequentatur, praeteritum tamen non minus locum habeat“; nec vero quae Gronovius ad *Senec. Agam.* 891. eiusmodi perfecti excusandi causa attulit: „simul enim et fit et factum est, dum narratur“, ad difficultatem expediendam satis ei apta esse videntur.

Itaque, quanquam *Servius* in *Comment.* ad *refugit* ait: „propter metrum

pro praesenti praeteritum posuit,“ temere tamen ad coniecturam confugit; quin etiam larga manu duas nobis suppeditans vel *refugitque dolore*, vel *luctu refugitque* legendum esse opinatur. Quarum correctionum priorem, quae a librorum mss. fide prorsus recedat, haud moror; altera quum necessaria non sit, tum propter rationes metricas admitti non potest. Quod enim Peerlkampius affirmat, talem hexametri exitum (— — — —) non esse duriorum illo, qui est A. X, 505: *socii multo gemitu lacrymisque*; utriusque versus non eandem esse rationem haud animadvertit. Ubi quae apud Virgilium hexametri in vocabula quattuor syllabarum, sive dispondeos, sive ionicos a minori exeunt, semper nominibus propriis vel appellativis quae vocantur utitur, ut A. I, 651: *hymenaeos* (cf. A. VII, 398.); A. III, 464: *elephanto*; G. I, 153: *tribolique*; A. IV, 146: *Dryopesque*; IX, 767: *Prytanisque*; Ecl. VI, 53: *hyacintho*; neque unquam verborum formas, quantum sciam, admisit. Qua de re conferatur *Grotefendii gramm. lat. P. II, p. 130.* (ed. III.).

Quae quum ita se habeant, acquiescendum est in lectione codicum uno consensu perfectum exhibentium, quod quidem tempus ἀοριστος, ut dicunt, Graecorum poetarum more ita usurpatum est, ut res, quae in praesenti fit, tanquam facta absolutaque efferatur. Conf. *Viger. de graecae dict. idiotismis* p. 208 sq. *Hermann. ad Vig.* p. 746 et *Bernhardy Synt. ling. graecae* p. 381 sq. Hic usus apud poetas Latinos locum maxime habet in comparationibus, ubi res, quae vel fieri solent, vel quae interdum fiunt, tanquam vere factae efferuntur, ut A. II, 379 sq.: *veluti qui anguem Pressit — trepidusque repente refugit*; A. V, 145: *Corripuere — currus*; A. X, 711: *aper — Substitit infremuitque*; A. XI, 810: *(lupus) sese Abdidit*. Nostro autem loco similia sunt exempla, in quibus praesens et perfectum variantur, ut A. X, 726: *(leo) gaudet — comasque arrexit et haeret*, et ibidem v. 804: *(nimbi) Praecipitant, omnis campis diffugit arator*. Quo in loco Peerlkampio et multa alia displicent, et perfectum propter necessitatem metricam positum esse videtur. At vero, ut eiusmodi perfecta subinde metrorum rationibus deberi lubens concesserim, minime tamen haec necessitas tam late patuisse censenda est, ut nuper *Koenius* voluit in libro *de epicorum Rom. sermone* p. 156 sq.; tantumque abest, ut hic usus a Graecis repetitus frigeat, ut elegantiae quoddam

stadium poetae Romani in eo sectati esse mihi videantur. Itaque quod praeter Virgilium *Horatius*, perpetuus graecorum poetarum aemulus, maxime eum frequentaverit, non est mirandum. Neque profecto erat, quod Peerlkampius *Carm.* I, 20, 20: *Mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum Saeva caput Proserpina fugit*, cum structura, tum insolentiore temporis perfecti usu offensus hunc locum expungendum censeret. Apud Horatium conferas etiam *Carm.* I, 34, 26: *Fortuna — Sustulit, hic posuisse gaudet*; *Epist.* II, 1, 201: — *quae pervincere voces Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?* et ib. II, 2, 170 sq.: *qua populus — vicina refugit Iurgia*, i. e. fugere, seu prohibere solet.

Huc iuvat addere locos aliquot Virgilianos, quos Peerlkampius, quod praesentis pro perfecto positi vim atque naturam minus perspiceret, coniectura sollicitavit. Sic quae leguntur *A.* II, 274 sq.: — *quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis*, ille, Bothium secutus, ita transponenda esse opinatur: *Hect., qui exuvias rediit ind. Ach.* At vero praesens egregie accommodatum est ad significandam rem praeteritam, cuius recens memoria animis vigeat et quae, tanquam in praesenti fiat, ante oculos nobis proponatur. Cuius usus exempla collegit *Wagnerus* ad *A.* I, 99: *iacet Hector* — et ad *A.* IX, 9: *Aeneas petit — penetravit*, ex quorum numero ad nostri similitudinem proxime accedit *A.* II, 663: *Pyrrhus, — patrem qui obtruncat ad aras* pro obtruncavit i. e. „quem quum viderim patrem obtruncasse, non alium mihi animo repraesentare possum, quam obtruncantem: qui solet obtruncare“, ut *Iahnus* egregie interpretatur ad *A.* II, 275. Eadem ratione explicandus est alter locus *A.* XII, 351 sq.:

Illum Tydides alio pro talibus ausis

Adfecit pretio, nec equis adspirat Achillis;

adspirat enim dictum est pro *adspiravit equis*, i. e. ad equos *Ach.*, totiusque loci haec est sententia: *Diomedes Dolonem*, qui pro speculationis mercede *Achillis* equos sibi poscere ausus erat, tali praemio affecit, ut ad currus *Pelidae* ne *adspiraret* quidem, i. e. ne animum quidem appelleret, scilicet a *Diomede* deprehensus, quum veniam sibi peteret, occisus est. Conferas *Hom.* II, X, 401 sq.: ἢ ῥά νύ τοι μεγάλων δῶρων ἐπεμαίετο θυμός, ἵππων

Αἰακίδαο δαΐφρονος, quem locum poetae nostro ob oculos versatum esse veri est simillimum. — Ad idem denique genus pertinet tertius locus A. II, 665:

Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis

Eripis, ut — cernam.

Ad quem locum Peerlkampius haec habet: „Ratio linguae poscit: *eriperes, ut cernerem*. Scribendum puto: *Hoc erat, a. parens? Sic me per tela, per hostes* (scrib. *ignis*) *Eripis*“ —. Tum conferri iubet A. IV, 675: *Hoc illud, germana, fuit? Me fraude petebas?* Immo grammaticorum praecepta poscunt: „*Hoc erat, quod me eripuisti, ut cernerem*“, verum poeta, quod recens factum erat (cf. v. 632 sq.), ita exprimit, ut praesentes quasi intueri nobis videamur. Neque temporum consecutio *ut — cernam* morari nos debet, quum verba *hoc erat, quod — eripis* unam quasi notionem efficiant ac posita sint pro: „*ergo ideo me eripuisti, seu servasti et etiam nunc eripis, ut cernam?*“ Vid. *Wunderlich*. in Heyn. ed. min. ad h. l. et *Iahn*. ad A. II, 275.

Superest, ut hic duos locos attingamus, ubi praesens in enuntiationibus relativis ita positum est, ut nomina substantiva, ut *munus, donum*, alia circumloquendo exprimat. Horum unus legitur A. IX, 266:

Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido —,

quae verba Peerlkampius, quod et defectus copulae, et praesens ei displicet, obelo confodere non dubitavit. At vero versus optime se habet atque ita explicandus est cum *Wagnero*, qui ad h. l. in V. L. similia exempla collegit: „*Crat., quem habeo, donatum a Didone, seu donum Didonis*“. Nam Iahnii interpretatio (ad A. II, 275.): „*quem cum mihi dederit Dido, egoque tibi dem, ipsa quasi Dido tibi dare videtur*“, haud scio an nimis sit arguta. Alter locus, quem et ipsum Peerlkampius temere in suspicionem vocavit, invenitur A. XI, 172: *Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto*, ubi poeta, praesenti pro perfecto usus est ad rei imaginem magis repraesentandam. Neque est, quod haereas in pronomine demonstrativo *eorum*, quod ad *tropaea* animo cogitandum est, omisso, quum hic loquendi usus haud infrequens sit apud Virgilium. Conf. A. IV, 597. V, 291 sq. XI, 81 et *Wagner*. ad h. l. in V. L.

Aen. II, 74. sq.

— *Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto.*

In hoc loco, qui est de Sinone, Peerlkampius verba *mem. — capto* pro spuris habet cum propter sensus obscuritatem, tum propter magnam lectionis varietatem, quae apud Servium invenitur. At tota illa varietas eo redit, quod in Servianis alii *memorem* legisse et ad *hortamur* retulisse, alii post *memoret* interpunxisse et quae antecedunt verba *quidve ferat* cum *memoret* coniunxisse dicuntur. Nec vero locus tanta obscuritate laborat, ut explicari nequeat; quin etiam apud Servium, qui fere falsa veris intermixta habet, recta explicatio latet: „quid illud sit, quod illi fiduciam apud hostes capto pariat, ut putet, a Troianis sibi esse parcendum“; quam secutus Heynius verba ita interpretatur: „num habeat, quod ad veniam impetrandam afferre possit“. Quod si Peerlkampius verba ita explicata inanem repetitionem antecedentis *quidve ferat* esse dicit, nihil aliud quam argutatur: his enim verbis primum generatim quaeritur, quid *afferat* s. *nuntiet*, cui aptissime interrogatio subiicitur, „cui rei maxime confidat“. Nec plurius faciendum est alterum argumentum, quod Peerlkampius excogitavit, „Sinoni, qui etiam apud Troianos sibi moriendum esse omnesque Graecos uno ordine ab iis haberi, ipse profiteatur (v. 102.), *fiduciam* tribui non posse“. Immo vero ex vultu ceteroque habitu Graeci facile cognoscunt, Sinonem supplicem esse, qui ne ut captivus occidatur metuens, ipsorum misericordiam impleret; id quod etiam apparet ex versu, qui infra legitur 145. In verborum structura *memoret, quae sit fid.*, in qua *memoret* abesse poterat, quum *hortamur fari* antecesserit, nemo haerebit, nisi is, qui, sicut Peerlkampius, ubique scirpum in nodo quaerat, ut commenta sua aliis comprobet. — Versum, qui sequitur: *Ille haec deposita tandem formidine fatur*, cum Peerlkampio expungere probabilius videri possit, praesertim quum desit in codice Mediceo ac facile ex A. III, 612. huc transferri potuerit, sed vide *Iahnium* ad Ge. II, 129, qui pronomem *ille*, quo Sinonis oratio Troianorum verbis opponatur, necessario hic requiri, acute observavit.

Pari temeritate Peerlkampius in altero loco huic simillimo, qui est de Achaemenide, Ulyssis comite, in Trinacria relicto, A. III, 608 sq.:

— *Qui sit fari, quo sanguine cretus*

Hortamur; quae deinde agitet fortuna, fateri —

verba *quae de. a. f. fat.* obelo signanda esse censuit. Negat enim „Latinos unquam dixisse: *hortamur fari, deinde fateri*, quum latinitas *fari ac fateri* postulet, neque recte dici *fateri calamitates suas*, sed *narrare*. Denique, etiamsi *deinde* cum Wagnero idem esse, quod *iam* statueris, vel sic melius abesse, quod tota haec interrogatio supervacanea sit“. Has vero meras esse argutias, nemo non, qui Virgilio loquendi usum paulo accuratius cognoverit, intelliget. Fugit scilicet criticum Batavum, *deinde* apud Virgilium in enuntiato, cui inest, non certam sedem tenere, sed pro cuiusque sententiae ratione modo in initio, modo post primum vocabulum, interdum etiam post plura demum verba collocari: unde factum est, ut etiam A. I, 195. verba: *Vina bonus, quae deinde cadis onerarat Aestes — dividit*, paucis iisque deterioribus codicibus confisus perperam ita transponenda proponeret: *deinde bonus quae vina cadis on. A.*, causa addita, similem locum, ubi *deinde* sic traiectum esset, ostendi non posse. At vero Vir doctus, si Wagneri annotationem ad h. l. inspicere voluisset, ubi *deinde* insolentius traiecti tria afferuntur exempla: A. V, 14. 400. et VII, 135, sine dubio cautius iudicasset de loco nostro, quem *Iahnium* in ed. alt. p. 470. commode ita interpretatus est: „*hortamur primum fari, qui sit et quo sanguine cretus, deinde fateri, quae agitet fortuna*“. Nam eam sententiam, quam *Wagnerus* ad h. l. et *Vossius* in *Annot. et gloss. ad script. Graec. et Rom.* proposuerunt, „*deinde* cum *quae* coniungendum et cum emphasi quadam, ut alibi *quae tandem, quae iam*, dictum esse“, quamque et ipse olim in e censura mea libri *Vossiani* (conf. *diar. scholast. Darmstad. a. 1838 sched. 10.*) amplexus eram, iam non ausim tenere contra *Iahnium*, qui etiam in iis locis, in quibus ista emphasis maxime cerni videatur, A. V, 741: *Aeneas, quo deinde ruis* —? IX, 781: *quo deinde fugam, quo tenditis?* denique XII, 889: *quae nunc deinde mora est?* —, particulae *deinde* suam ac propriam significationem egregie vindicavit. Quin etiam apud *Livium* lib. XXXIX, 22. in.: *per dies decem adparatos deinde ludos M. Fulvius — fecit*, ut cum *Sigonio* legendum

est, *deinde* particula in quintam periodi sedem trajecta est; conf. III, 3. Haec, credo, sufficiunt ad verba, de quibus agitur, ab omni suspitione liberanda; nam tantum abest, ut cum Peerlkampio pro supervacaneis habenda sint, ut a constanti Virgilii consuetudine etiam flagitentur. Ubiunque enim alienigenae hospitesve primum inter se congregiantur, non solum de nomine atque origine interrogantes eos inducit, sed etiam unde profecti sint, quo contendant, quid petitori venerint, et quae sunt id genus alia. In quam rem conferas A. VII, 195 sq., ubi Aeneas Latinum regem primum salutatur, et Aeneae cum Pallante et Evandro congressum (A. VIII, 112 sq.). Adde A. X, 149 sq., de quo loco supra diximus.

Aen. II, 87.

Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.

In hoc versu iam veteres verba *primis ab annis* vel a primis annis adolescentiae, vel belli accipiebant. Utrumque displicet Peerlkampio: illud, quod Sinon v. 138. domi sibi uxorem et dulces natos relictos esse dicat; hoc, quod non sit, cur Sinon se statim ab initio belli ad Troiam profectum esse memoret, quippe quum omnes Graeci, si Achillem exceperis, primo belli anno in Troiam venerint. Praeterea Sinonem, scilicet ut Troiani ipsum hostem haberent minus diuturnum, potius dicturum fuisse, se a patre missum extremis annis. Quibus argumentis seu potius argutiis confusus V. D. ex duorum eorumque deteriorum codicum fide, qui *in annis* vel *ab armis* exhibent, pro vulgata ita legendum esse coniecit: „Pauper in *arva* pater primis *haec* misit in *armis*,” in eamque rem locos affert *Ovidii Met.* VIII, 313. *Art. am.* 181. et *Sil. Ital.* V, 580, ubi *primis in armis* pro prima militia positum est. In hac coniectura agnosco acumen, necessitatem atque veritatem desidero. Sive enim *vv. primis ab annis* ad initium belli, sive ad ineuntem adolescentiam referre mavis, vulgata habet, quo tueri possis. Quod si illud amplectaris, quum ex praegresso vocabulo *arma* genitivus *armorum*, quod idem est atque *belli*, facile eliciatur, parum interest, utrum *pr. ab annis* an *pr. ab armis*, legatur: nam ut veteres a prima adolescentia stipendia mereri solitos esse satis constat, ita Sinonem, nimirum

adolescentem, Palamedi natu maiori comitem additum esse poeta ipse commemorat. Magis tamen eo inclino, ut verba, de quibus agitur, de aetate accipienda esse censeam, id quod valde commendatur simili loco Virgilii A. VIII, 515 sq., ubi Evander Pallanta filium Aeneae, cuius auspiciis irocinium positurus est, hisce verbis commendat: *Sub te tolerare magistro — militiam — Assuescat, primis et te miretur ab annis*, id est a prima adolescentia. Neque magni ducenda est difficultas, quam Peerlkampius excitavit et ante eum *Wunderlichius*, quasi haec explicatio conciliari non queat cum versu 138: interdum enim poetas dormitasse atque res, quae minus sint veri similes paululumque a temporis rationibus discrepant, protulisse, quis est, qui ignoret?

Ita, ut uno exemplo Homericō defungar, quod cum nostro multum habet similitudinis, II. XXIV, 347 sq. Mercurius, Iovis missu Priamo oblatus describitur: *ζούρω αἰσθητῆρι εἰοικώς, πρῶτον ὑπνήτην, τοῦπερ χαριεστάτη ἦβη* —, et paulo inferius v. 396 sq. eundem iuvenem vix pubescentem poeta dicentem facit, ex septem se esse Polycctoris Myrmidonis filiis natu minimum, qui quum sortiti essent, quis ex ipsorum numero ad bellum Troianum proficisceretur, suam sortem exiisse; quanquam a belli initio plus novem anni interiecti sunt, quo tempore credo primam illam lanuginem dudum in barbam accrevisse. Talia, quae sint levia, in poeta reprehendere, putidae est diligentiae nimiaeque morositatis, verum alia sunt eaque paulo graviora eiusmodi sive incuriae sive festinantiae exempla apud Virgilium, in quam rem compares *Wagneri* Q. V. XXXX inscripta: „Virgilius dormitans aliquando“.

II, 120 sq.

Obstupere animis gelidusque per ima cucurrit

Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

In verbis *cui fata parent* interpretandis vix dici potest, in quam diversas partes interpretes abierint, quorum nullus, quod sciam, quid verum sit, satis explanavit. *Heynius*, *Forbiger*, *Suepsteus* et *Phil. Wagnerus* (in editione minori a. 1845 edita) Servii interpretationem: „cui fata, i. e. responsa praeparent

mortem“, secuti fata pro nominativo habent verbaque ita explicant: „cui fata parent id, ut eius anima litetur“; alii, in quorum numero *Iahnus* est, interpretantur *fata* (accusat.), i. e. *mortem parent*, et subiecti loco *haec verba* subaudiunt; *Muellerus* (cf. *symbol. exeget. in Virg. Aen. programmati Blankenburg. a. 1837 insert.*) verba ita iungenda esse opinatur: „quem poscat Apollo, cui (i. e. ut ei) fata parent“; *Peerlkampius* denique, quanquam *Heynii* explicandi ratio ei non plane displicet, tamen locum medela egere ratus ita corrigi: *quid fata parent*: in quam rem laudat *Virg. A. V, 13: Quidve, pater Neptune, paras?* *Lucan. Phars. I, 660: Quid tantum, Gradive, paras?* et *VI, 783: Quid fata parent, Ni fecere palam.* At vero, si quid video, locus sanus est et incorruptus, modo recte explicetur. *Fata enim parare alicui* sollemnis est formula de iis, qui diis pro victima immolantur, id quod certo confirmatur loco *Ovidiano, Metam. XIV, 213: Talia fingebam misero mihi fata parari.* In eandem sententiam etiam dicitur *sacra parare*, quod paulo inferius v. 132. *Virgilius* posuit, idemque *Ovidius* usurpavit *Met. XIII, 454: Sensitque, (sc. Polyxena), sibi fera sacra parari.* Quo quidem loco codices aliquot *Heinsii* pro *sacra fata* exhibent, quod probavit *Doeringius* ad *Horat. Carm. I, 15. 4.* Sed vide *Bachium* ad *Ovid. l. c.*

Quae quum satis, ut credo, expedita sint, iam non est quod in verbo *parent* haereamus: nam ex praegresso *obstupere* subiectum, quod vocant, *ipsi* vel *homines*, facile intelligitur (conf. *A. III, 106 et 110.*), ut locus vernacule hoc fere modo reddatur: „wem man den Opfertod bereiten soll, wen Apollo verlange.“

Aen. II, 179 et 721.

Singularem quandam carminis epici venustatem positam esse in epithetis ornantibus sive perpetuis, quibus propria cuiusque rei ac personae natura atque indoles quasi depingatur et sub adspicuum paene subiiciatur, inter omnes constat, qui *Homeri* carmina vel primoribus labiis gustaverint. Neque *Virgilium*, perpetuum *Homeri* imitorem atque aemulum, a praecipuo illo carminis exor-

nandi subsidio abhorruisse, exempla ubivis obvia demonstrant. Vide *Macrobii Sat.* V, 6: „Homericæ quoque epitheta quantum sit æmulatus, imitando confessus est, et mille talium vocabulorum, quibus velut sideribus micat divini carminis variata maiestas“. Itaque permirum est, quod Peerlkampius plures locos Virgillii, in quibus hæc carminis epici virtus quam maxime cernitur, novandi studio abreptus temere coniecturis tentavit. Ad hoc genus pertinet locus, qui legitur *A.* II, 179.: (numen) *Quod pelago et curvis secum avexere carinis*, quem locum Peerlkampius, codicum fidem nihil curans, ita corrigendum esse sibi persuadet: „*Quod pelago turpi secum avexere rapina*“. Quod perversum viri docti acumen quis est qui non merito indignatur? Nimirum adiectivum *curvis* expressum est ex Homericò *ἤρῳσι κορωνίσῳ*, quod est epitheton perpetuum navium, et apud poetam nostrum duobus aliis locis invenitur, *A.* I, 63: *curvae carinae*, *A.* VI, 3: *puppis curvae*. Ne vero hæreas in structura „*pelago et carinis*“, vide *Wagneri* Q. V. XXXIV, 2., qui hunc usum, ex quo res natura sua non disiunctæ inter se copula iungi solent, exemplis egregie illustravit. — Alter locus, in quo epitheton male habet Peerlkampium, est *A.* II, 720 seq.: *Abluero. Hæc fatus latos humeros subiectaque colla — insternor pelle leonis*. — Nec enim „*latos*“ singularem hic adeo vim addere putat, ut Virgilius propterea versum reliquisset ita imperfectum et ex unico vocabulo constantem“. Itaque *latos* eiecto poetam scripsisse coniecit: *Abluero. Hæc fatus humeros* et q. s. Id vero est argutari, nec corrupta corrigere. Lectionem *latos* et omnes libri mss. præbent et antiquissimus scholiastes Maii agnoscit, qui hæc habet: „Iure dictum est *latos*, nec notanda iactantia est in veritate, sicut illud in primo (v. 378.): *sum pius Aeneas*“. In hac explicatione equidem acquiescendum esse puto, quanquam *latos* etiam ita expediri potest, ut pro *late* dictum esse accipiatur, ut *A.* II, 312: *Sigea litora lata* [i. e. *late*] *relucent*, de quo usu conferas *Iahnium* ad *Ge.* I, 320.

Huc addo tertium locum *A.* III, 70: *Lenis crepitans vocat auster in altum*, in quo Peerlkampius, offensus scilicet adiectivo, quod adverbii vice verbo *crepitans* adiectum est, *lenis* temere in *velis* mutandum esse censet. At hic loquendi usus Virgilio tam est familiaris, ut quomodo virum doctum fugere poterit, vix assequaris. Conferas, quaeso, *Ge.* II, 377: *gravis incumbens aetas*;

V, 764: *creber et adspirans Auster*. XI, 832: *immensus surgens*. Plura exempla tibi suppeditabit *Wagnerus* ad A. VIII, 559.

Iam transeo ad vindicandos tres locos Virgilianos, ubi *Peerlkampius* in epitheto *ingens* offendit, quod ut proprie de monstris et quae his proxima sunt dicitur, ita ad omnia, quae vel in suo genere magna sunt, vel quae, quod ex inopinato superveniunt, animos subito obstupesciunt, designanda frequentissime a poeta usurpatur. Sic *Virgilius* A. V, 216. de columba dicit: *plausumque exterrita pennis Dat tecto ingentem*, et v. 506: *ingenti sonuerunt omnia plausu*, non spectatorum, ut nonnulli volunt, sed columbae alarum, ut recte monuit *Iacobus* in *Quaest. ep.* p. 59.

Primus igitur locus, quem sollicitavit *Peerlkampius*, legitur A. III, 570 sq.:

*Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.*

Ad quem locum V. D. haecce habet: „Epitheton *ingens* huic loco non convenit. Sive portus sit ingens, sive parvus, nihil refert. Pro *ingens* scribendum arbitror *undis* totumque versum ita interpungendum: *Portus ab accessu ventorum immotus et undis, Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis*“. Verum enim vero neminem fore arbitror, qui miro huic commento suffragetur: nam vulgatam non solum codices tuentur omnes, sed firmat etiam *Aulus Gellius* l. XVII, c. 10, qui totum locum de Aetna monte, adumbratum illum quidem ex *Homeri Odyssea* IX, 136 sq., transcripsit. Quo accedit, ut *ingens* epitheton in portum, qui saxis undique septus contra vim ventorum defenditur, quam maxime conveniat, quippe quo iuxta tonantis Aetnae horror egregie augeatur.

Nec vero erat, quod *Peerlkampius* in altero loco, qui legitur A. V, 404: *tantorum ingentia septem Terga boum plumbo insuto ferroque rigeant* — ex ingenio corrigeret: *tantor. nigrantia s.* Quid enim coloris hic significatio sibi velit, non assequor; verum *ingentia* epitheton ad *immani pondere caestus*, quos poeta dicit v. 401, depingendos quam sit accommodatum, non est quod pluribus demonstrarem.

Denique *Peerlkampius* in eiusdem libri versu 487: *ingentique manu malum* — *Erigit* coniecturam *Bothii* pro *ingentique ingentemque* legentis temere

probendam putavit. Haud dubie poeta noster imitatus est Homericum *χειρὶ παχείῃ* sive *στιβαροῦ*, quae ex sollemni more heroibus tribuitur, qui et fortitudine et corporis viribus ac robore insignes sunt. Neque mirandum, quod Virgilius, qui heroes ipsos *ingentes* appellet A. II, 557. VII, 167. IX, 735. X, 842, singulas etiam eorum corporis partes *ingentes* fingat, ut *pectus*: A. X, 485, *barbam*: XII, 300. His addo exemplum nostrum plane simile, A. XI, 556: *Quam (hastam) dextra ingenti librans*, quo quidem omnis, credo, de nostro loco dubitatio expelletur.

In fine huius de epithetis quaestionis subiiciam Virgilio locum, qui invenitur A. III, 632, ubi de Polyphemo Cyclope dicitur: *Iacuitque per antrum Immensus, saniem eructans et frustra cruento*. — Pro Medicei optimorumque codicum lectione *immensus* aliquot libri *immensum* habent, idemque Servius legisse videtur, in cuius commentariis haec sunt: „*Immensum* ad Polyphemi magnitudinem pertinet, quasi in totoantro iacuerit“; quanquam duae editiones, altera Parisiensis a. 1600. apud Seb. Nivellium, altera Commelina a. 1645. in textu *immensum*, verum in suppositis Servii scholiis *immensus* praebent, ut lectio dubia reddatur. Praeterea pauci peioris notae codices *immensam* exhibent. Hinc Peerlkampius veram eruisse lectionem sibi visus est coniiciens: *immersam saniem*, i. e. quam in alvum immerserat, quod ex *eructans* vult intelligi. Quod quidem commentum firmari sibi persuadet Quintiliani loco VIII, 3, 84, ad *ἐμφασιν* figuram pertinenti, ubi haec leguntur: „Idem (Virgilius) Cyclopem cum iacuisse dicit *per antrum*, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est.“ Immo vero hunc locum si attentius legeris, vel nihil in nostram rem, vel plane contrarium inde colligendum esse, iam Heynius animadvertit: Quintilianus enim tantum verba *per antrum* respicit. Vulgata lectio *immensus* verissima est, quippe quae et ingentem Cyclopis magnitudinem optime depingat, et Virgiliano loquendi usui maxime sit consentanea. Poeta enim, ubi in nostra lingua *adverbia* poni solent, haud infrequenter ita usurpat *adiectiva*, ut cum subiecto, in quo quidem primaria enuntiativis est, coniungantur. De hoc usu compares A. II, 135: — *obscurus in ulva Delitui*; V, 387: *Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes*; VIII, 298 sq.: *Typhoeus, Arduus arma tenens*, ad quem locum vid. *Wagneri* annot.; denique A. XII, 926 sq.:

incidit ictus Ingens. Adde *Iacobi*, qui de hoc epithetorum genere, quae translata vocat, eleganter disputavit, *quaest. epic.* pag. 120 sq.

Aen. III, 134 sqq.

Hortor amare focos arcemque attollere tectis.

Iamque fere sicco subductae litore puppes;

Connubiis arvisque novis operata iuventus;

Iura domosque dabam: subito quum tabida membris —

In hoc loco corrigendo vix credibile est, quo audaciae Peerlkampius progressus sit. In hemistichio enim *arc. att. tectis* fastidio ei est structura *hortor arcem attollere*, quum dicendum fuerit *iubeo*; deinde „Virgilium in omni hac parte narrationis brevitati studere“ arbitratur. Scilicet Virgilium Peerlkampianum. Taedet vero tales argutias, quae ne speciem quidem veritatis habeant, pluribus refellere: quem enim iure offendere possit *arcis* commemoratio, quae a Virgilio omnibus per Aeneida conditis condendisve urbibus diserte tribuatur, ut A. I, 421. VIII, 98. XII, 655? Conferas Lerschii *Antiq. Virgil.* pag. 31 sq.

Quas in versum sequentem suspiciones coniecit Peerlkampius, *fere* particulam languere, totumque versum a re esse alienum, quum statim post egressum, nec vero satis magno tempore interiecto, naves in terram subductas esse consentaneum sit, earum priori aliquid tribuendum est, neque immerito *Wagnerus* offendit, qui pro *fere sicco Berecyntheo* legendum coniecit. Sed equidem locum non sollicitandum iisque annumerandum esse censeo, quibus poeta noster ultimam limam adhibere non potuerit. Neque alteram Peerlkampii suspensionem audiendam esse puto: quid enim impedit, quominus Aeneam in portum aliquem, cuius pluribus locis mentio fit in Aeneide (cf. I, 168 sq., III, 300, V, 612.), invectum naves ancoris alligasse atque consilio demum novae urbis condendae capto in litus subduxisse cogitemus?

III. Qui hinc subiicitur versus *connubiis — iuventus* a Peerlkampio ideo

damnatur, quod Aeneas paucas tantum easque iam nuptas vel provectae aetatis mulieres secum duxerit, deinde quod in verbis *operata connubiis et arvis novis κακέμφατον* ab hoc loco alienum insit. At vero in talibus rebus, quae ad rem non multum pertineant, minutam obscuramque diligentiam a poeta postulari non oportere, iam supra monuimus; deinde quod vir doctus in his verbis *κακέμφατον* indagasse sibi videtur, nae ille sagaciori naso est, quam et omnes Virgilii interpretes, qui nihil indecentius hic odorati sunt, et *Quintilianus*, qui *Inst. Or. VIII, 3, 44.* dedita opera de hoc vitio orationis agit. *Operata*, quod *Servius* de sacrificiis, quae in connubiis fieri solebant, intelligit, *Heynius* recte interpretatur *operam dedit connubiis* sc. conciliandis. Ad rem illustrandam maxime accommodatus est Virgilii locus *A. V, 750: Transcribunt urbi matres.*

Denique quod *Peerlkampius* in versu 137. *domos dabam ταύτολογία* inesse arbitratur, quod supra poeta dixerit *hoste vacare domos sedesque adstare relictas*, idemque statim repetatur verbis *hortor amare focos*, minime audiendus est: *domos enim dabam* idem est, quod *dividebam*, id quod egregie firmatur Virgilii loco *A. V, 755 sq.: Interea Aeneas urbem designat aratro Sortiturque domos* et q. s.

In hoc argutandi studio iam non est mirandum, quod *Peerlkampius* aliis quoque locis, qui sunt de urbibus vel coloniis condendis, turpiter se dederit et verba plane incorrupta in dubium vocaverit. Huc pertinet *A. VII, 126 sq.: Tum sperare domos defessus ibique memento Prima locare manu molirique aggere tecta.* In hoc loco offendit virum doctum et *prima* vocabulum et structura *moliri tecta aggere*, quae verba „domos facere ex aggere, fortasse casas ex cespitibus“ significare arbitratur. At vero haec vituperia quam vana sint et inania, ex iis luculenter apparet, quae poeta ad eandem rem pertinentia statim affert v. 157:

— *Ipsè humili designat moenia fossa
Moliturque locum primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.*

Prima tecta simpliciter intelligas *novâ t.*, ut hoc loco *primae sedes* et *A. III,*

17. *moenia prima* dicuntur; tum *moliri tecta aggere* per breviloquentiam dictum puta pro „tecta, i. e. urbem moliri aggere circumducto“.

Eadem temeritate Peerlkampius versus duos Aeneidos, XI, 130 sq.: *Quin et fatales murorum attollere moles Saxaque subvectare humeris Troiana iuvabit*, ut supervacaneos et a re alienos expungendos esse duxit. Verum si hos versus omiseris, ea quae statim de Teucrorum et Latinorum commercio, induciarum fide institui coepto, subiiciuntur, haud recte intelligi posse facile intelliges. Tertium locum, qui ad idem genus pertinet, a Peerlkampio iniuria notatum, A. I, 426: *Iura magistratusque legunt*, iam vindicavit Iahnus in censura ed. Peerlk. l. c. p. 43 sq., qui Virgilium in talibus rebus populi Romani moribus ac sensui sese accommodasse recte animadvertit. Quum enim superbi illi terrarum orbis domini nihil lubentius audirent, quam sese ab Aenea eiusque sociis prognatos esse, moresque suos atque instituta iam ab antiquissimis temporibus originem ducere, Virgilius suae gentis suaeque aetatis mores cum domesticos, tum bellicos ubique fere in carmen suum transtulit. Quod quidem studium recentiora antiquitati tribuendi quam late pateat, luculenter demonstravit Lerschius in commentatione *de morum in Virgilio Aeneide habitu*. Huius rei si memor fuisset Peerlkampius, haud dubito, quin a pluribus locis sollicitandis manus abstinuisset. Sic verba, quae sunt A. VIII, 313: *Romanae conditor arcis*, V. D. propter ineptam prolepsin *Romanae* iniuria damnat, scilicet quod Evandrus Pallanteum, non arcem condiderit. Pertinet enim hic locus ad illud *prolepseos* genus, quod *historicum* dici possit, apud Virgilium frequentissimum, cuius vim atque causas egregie exposuit Iacobus in Quaest. ep. p. 181 sq. Loci autem sententiam iam Servius recte perspexit: „conditor Pallantei, ubi nunc palatium est: quod non est revera arx, sed tenet rerum omnium principatum. Et hic subtiliter videtur significare, Romam initium ab Evandro ducere“.

Ad eandem rationem revocandi sunt duo alii loci, quorum unus legitur in Aeneidos initio: *Laviniaque — Litora*, ubi Peerlkampius perperam *Laurentia* correxit, merito notatus ideo ab Iahnio; alter est A. VI, 366: *portusque require Velinos*, quae verba, ut totum illud de Palinuro episodion, interpolata esse duxit Peerlkampius. Verum uterque locus firmatur *A. Gellii* auctoritate X, 16, ubi iam Iulius Hyginus grammaticus in hac prolepsi offendisse

narratur. Conferas *Iacobi* Q. ep. p. 186 sq., qui Virgilium ab omni reprehensione defendit.

Aen. III, 618 sq.

Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,

Intus opaca, ingens. Ipse arduus altaque pulsat.

Peerlkampius ablativos *sanie dapibusque cruentis* latinos esse negat, nihil moratus locos Virgilianos nostri similes, quos *Wagnerus* ad A. IV, 517: *Ipsa mola manibusque piis — Testatur —* laudavit. Itaque V. D. pro *intus* scribendum putat *pinguis*, quod coniungi vult cum praegressis ablativis *sanie dapibusque cruentis*, iam explosae a *Gellio* (N. A. V, 7.) contra Hyginum grammaticum, qui in simili loco A. VII, 187: *Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea —* sine causa offenderat. Nostro loco *sanie dapibusque cruentis* ablativi sunt, quos grammatici vocant, *qualitatis*, poetarum more paulo insolentius positi. Conf. I, 639: *Arte laboratae vestes ostroque superbo.* III, 688: *Vivo praetervehor ostia saxo —* et VII, 474: *— Hunc claris dextera factis* (sc. movet), quo quidem loco per transpositionem *claris* dictum puta pro *clara*. Locum, quem supra laudavi, VII, 187. equidem ita interpretandum esse censeo, ut per zeugma, quod vocant ad *Quirinali lituo* intelligatur *instructus*, quod facile ex subiecto *succinctus* elici potest.

Hebräische Sprache: 2 St. Ebräische Grammatik nach Gesenius. Hr. Religionslehrer Biersack.
 Griechische Sprache: 6 St. a) in 4 St. Platon. Apolog. und Plutarch. vit. Gracch. nebst schriftlichen und mündlichen Uebungen im Uebersetzen. Derselbe.
 b) in 2 St. Homer's Ilias B. I—IX, mit Ausschlusse des V. Buches; ausserdem wurden 4 Bücher aus der zweiten Hälfte privatim gelesen. Hr. Oberlehrer Freudenberg.
 Deutsche Sprache: 2 St. Deutsche Literaturgeschichte seit Klopstock, nach Dictaten und den Biographien in dem deutschen Lesebuche von Pütz und Remacly, verbunden mit der Lesung betreffender Muster, der Censur der schriftlichen Arbeiten und mit Uebungen im mündlichen Vortrage. Hr. Oberlehrer Remacly.
 Französische Sprache: 2 St. Besondere Gattungen und Eigenthümlichkeiten der Zeitwörter; Constructionordnung; das Nöthigste der Verslehre, Molière's Avare und Voltaire's Henriade, erstes Drittel; Uebersetzungen aus deutschen Schriftstellern. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

Wissenschaftlicher Unterricht.
PRIMA.
 Ordinarius der Klasse: Hr. Prof. Dr. Schopen.

1. Lateinische Sprache: 8 St. a) in 2 St. das erste und zweite Buch von Horatius Oden, in Verbindung mit Uebungen im mündlichen Vortrage auswendig gelernter Oden. Dir. Biedermann.

b) in 6 St. Taciti Germania und Histor. loc. sel. und Uebungen im Lateinisch-Sprechen und Schreiben. Hr. Prof. Dr. Schopen.

2. Griechische Sprache: 6 St. a) in 4 St. Platon. Apolog. und Plutarch. vit. Gracch. nebst schriftlichen und mündlichen Uebungen im Uebersetzen. Derselbe.

b) in 2 St. Homer's Ilias B. I—IX, mit Ausschlusse des V. Buches; ausserdem wurden 4 Bücher aus der zweiten Hälfte privatim gelesen. Hr. Oberlehrer Freudenberg.

3. Deutsche Sprache: 2 St. Deutsche Literaturgeschichte seit Klopstock, nach Dictaten und den Biographien in dem deutschen Lesebuche von Pütz und Remacly, verbunden mit der Lesung betreffender Muster, der Censur der schriftlichen Arbeiten und mit Uebungen im mündlichen Vortrage. Hr. Oberlehrer Remacly.

4. Französische Sprache: 2 St. Besondere Gattungen und Eigenthümlichkeiten der Zeitwörter; Constructionordnung; das Nöthigste der Verslehre, Molière's Avare und Voltaire's Henriade, erstes Drittel; Uebersetzungen aus deutschen Schriftstellern. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

5. Hebräische Sprache: 2 St. Uebersetzung und grammatische Erklärung gewählter Capp. aus der Genesis und aus Josua und einiger Psalmen; Wiederholung einzelner Theile der Grammatik nach Gesenius. Hr. Religionlehrer Reinkens.

6) Religionlehre: a) kathol. Conf. 2 St. Lehre von dem Urzustande des Menschen, von der Erbsünde, von der Erlösung und ihren Früchten, von der Rechtfertigung, von den guten Werken, von der Kirche als Lehr- und Heilanstalt, mit Berücksichtigung der Lehrgegensätze der verschiedenen Confessionen, in freiem Vortrage und mit stäter Beziehung auf das Tridentinum und die protest. symbolischen Bücher; mit den Oberprimanern 1. Timoth. nach dem Grundtexte.

Hr. Religionlehrer Reinkens.

b) evang. Conf. 2 St. Anfänge des Christenthums, Leben und Lehre Christi und die apostolische Lehre. Daneben wurden ausgewählte Abschnitte aus den Evangelien im Grundtexte gelesen. Hr. Prof. Dr. Kling.

7. Mathematik: 4 St. Die Lehre von den Progressionen; der binomische Lehrsatz; Wiederholung und Erweiterung verschiedener Theile der Mathematik mit fortwährenden Uebungsaufgaben. Hr. Oberlehrer Zirkel.

8. Physik: 2 St. Genauere mathematische Begründung des in Secunda durchgenommenen Lehrstoffs; die Lehre von der Wärme und dem Magnetismus.

Derselbe.

9. Geschichte und Geographie: 2 St. Geschichte des Mittelalters.

Hr. Prof. Dr. Schopen.

10. Philosophische Propädeutik: 2 St. Die Hauptlehrsätze der empirischen Psychologie. Dir. Biedermann.

SECUNDA.

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Freudenberg.

1. Lateinische Sprache: 10 St. a) in 2 St. Virgil. Eclog. II, IV, V; Aen. lib. II. Hr. Oberlehrer Remacly.

b) in 8 St. Cic. or. pro Roscio Am. und pro Marcello; Livius lib. XXII. bis cap. 30. statarisch und lib. XXI. privatim; Wiederholung der Lehre von den Temporibus und Modis; schriftliche Uebersetzungen aus dem Deutschen und Extemporalien; Anleitung zu kleinen freien Arbeiten; Auswendiglernen ausgewählter klassischer Stellen.

Hr. Oberlehrer Freudenberg.

2. Griechische Sprache: 6 St. a) in 4 St. Xenoph. Cyrop. lib. I, cap. 1—6, lib. IV, cap. 6, lib. V, cap. 2 und 3; privatim unter Controle von den Schülern übersetzt und erklärt: lib. V, capp. 1, 5. 31—55, lib. VI, cap. 4, lib. VIII, cap. 7.

Die Anomalie des Verbuns und die ganze Syntax nach Buttman's mittlerer Grammatik; schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen.

Hr. Oberlehrer Rema cly.

b) in 2 St. Homer's Odysee B. III, V, VI und XVIII; B. XII—XVI. wurde von der obern Abtheilung privatim gelesen. Hr. Oberlehrer Freudenberg.

3. Deutsche Sprache: 2 St. Aus der Rhetorik wurde die Lehre von der Erfindung behandelt und das Disponiren practisch geübt bei der Lesung und Erklärung prosaischer Musterstücke nach dem Lesebuche von Pütz und Rema cly; dazu kamen Uebungen im Declamiren und freien Vortrage und schriftliche Arbeiten.

Hr. Oberlehrer Rema cly.

4. Französische Sprache: 2 St. Wiederholung des in Tertia Vorgenommenen; Bestimmung- und Fürwörter; Allgemeiner Gebrauch der Arten und Zeiten des Zeitworts; Voyage du jeune Anacharsis en Grèce par Barthélémy, III. Abtheilung; schriftliche und mündliche Uebersetzungen aus dem Deutschen.

Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

5. Hebräische Sprache: 2 St. Elementar- und Formenlehre nach Gesenius bis zum anomalen Verbum; Analysirübungen nach Maurer.

Hr. Religionlehrer Reinkens.

6. Religionlehre: a) kathol. Conf. 2 St. Die Lehre von dem Verhältnisse Gottes zu dem Menschen, nach Siemers. Zwischen den Abschnitten von der Erlösung und der Gnade wurde die Lehre von der Kirche eingelegt, am Schlusse des Ganzen die Frage beantwortet, in wiefern die Kirche eine Geschichte habe, und daran geknüpft der Kirchengeschichte erste Periode.

Hr. Religionlehrer Reinkens.

b) evang. Conf. (mit Prima combinirt).

7. Mathematik: 4 St. Die Lehre von den Potenzen, Wurzeln und Logarithmen; die Gleichungen vom zweiten Grade; Beendigung der Planimetrie und hierauf ebene Trigonometrie; daneben stäte Uebungsaufgaben. Hr. Oberlehrer Zirkel.

8. Physik: 1 St. Die Gesetze der Bewegung und des Gleichgewichts der Körper.

Derselbe.

9. Geschichte und Geographie: 3 St. Geschichte der Römer.

Hr. Prof. Dr. Schopen.

TERTIA.

Ordinarius: Hr. Gymnasiallehrer Werner.

1. Lateinische Sprache: 10 St. a) in 2 St. Ausgewählte Stellen aus den drei ersten Büchern von Ovidius Metamorphosen. Dir. Biedermann.

b) in 8 St. Wiederholung des in Quarta Vorgenommenen, dann die Lehre von dem Gebrauche der Modus und Zeiten und die Wortbildung; mündliche und schriftliche Uebungen und Extemporalien nach Dronke und Dictaten; Gelesen wurden zehn Biographien des Cornel. Nep. und Jul. Caes. de bello Gallico I—IV. (incl.) und daraus passende Stellen auswendig gelernt. Hr. Gymnasiallehrer Werner.

2. Griechische Sprache: 6 St. Wiederholung des in Quarta Vorgenommenen nach Quossek's pract. Anleitung; Erweiterung und Beendigung der Formenlehre; Syntax der Casus und Präpositionen nach Buttman; einige Abschnitte aus Jacobs Elementarbuch und Xenoph. Anab. III, 3, 4, 5, und IV, 1, 2, 3; mündliche und schriftliche Uebungen im Uebersetzen und Extemporalien nach Günther's Anleitung und Dictaten. Derselbe.

3. Deutsche Sprache: 2 St. Die Lehre von der Verbindung und Folge der Sätze und die Interpunction nach Heyse; Lesung ausgewählter Stücke und Uebungen im mündlichen Vortrage nach Hülstett's Lesebuch; schriftliche Uebungen in Erzählungen, Beschreibungen und Schilderungen. Derselbe.

4. Französische Sprache: 2 St. Sprachgesetze; Formen- und Gebrauchslehre der Haupt-, Eigenschaft-, Zahl- und der Zeitwörter bis zu den unregelmässigen, nach Hirzel's Grammatik; schriftliche und mündliche Uebersetzungen. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

5. Religionlehre: a) kathol. Conf. 2 St. Die Glaubenslehre nach Siemers Handbuche. Hr. Religionlehrer Reinkens.

b) evang. Conf. 2 St. Das Evangelium Matthaei gelesen und dessen Lehrinhalt entwickelt; schriftliche Arbeiten. Hr. Licentiat Sommer.

6. Mathematik: 3 St. Die Gleichungen vom ersten Grade; die Gleichheit des Flächenraums geradliniger Figuren; die Lehre vom Kreise; die Proportionalität gerader Linien; daneben entsprechende algebraische und geometrische Probleme zur Uebung. Hr. Oberlehrer Zirkel.

7. Geschichte und Geographie: 3 St. Geschichte der Deutschen bis zum dreissig-jähr. Kriege, nach dem Grundrisse von Pütz; Geographie von Europa, insbesondere von Deutschland, mit Rücksicht auf die Culturverhältnisse, nach Schacht's Leitfaden.

Hr. Oberlehrer Freudenberg.

8. Naturbeschreibung: 2 St. Im Winter Wiederholung der Zoologie, im Sommer Botanik, nach Burmeister's Handbuche, welches in allen Klassen diene, wie auch der naturh. Atlas von Goldfuss, wenn die Naturalien dem Kabinete mangelten.

Hr. Gymnasiallehrer Mockel.

QUARTA.

Ordinarius: Hr. Gymnasiallehrer und Jubilarius Dr. Kanne.

1) Lateinische Sprache: a) in 4 St. Ausgewählte Fabeln des Phädrus, mit besonderer Berücksichtigung der Prosodie und Metrik; aus dem lat. Memorirbuche von Meiring und Remacly wurden nach Ruthardt'scher Methode capp. 7, 16 und 27, mit einzelnen Auslassungen, aus dem zweiten und zum Schlusse einige leichteren Erzählungen aus dem dritten Cursus memorirt und damit verbunden eigens auf die Anwendung und weitere Verarbeitung des Memorirten berechnete Extemporalien.

Hr. Oberlehrer Remacly.

b) in 6 St. Wiederholung und Ergänzung der Formenlehre; die Casuslehre, die Lehre von dem Gebrauche der Modi, Zeiten und Participien nach Siberti's Grammatik; mündliche und schriftliche Uebersetzungen, theils nach Dronke, theils nach Dictaten; Uebersetzung und Erklärung mehrer Abschnitte von Jacob's und Döring's Elementarbucho, II. Cursus, dann ausgewählter Feldherrn des Corn Nep. verbunden und damit Auswendiglernen passender Stellen; schriftliche Arbeiten und Extemporalien.

Der Hr. Ordinarius.

2. Griechische Sprache: 6 St. Die Formenlehre nach Quossek's practischer Anleitung bis zu den Verben in $\mu\iota$; mündliche und schriftliche Uebungen zur Befestigung der Formenlehre und zur Einübung der einfachsten Regeln der Satzbildung.

Derselbe.

3. Deutsche Sprache: 2 St. Ausgewählte Stücke aus Hülstett's Lesebuche mit stäter Hinweisung auf Heyse's Grammatik; Auswendiglernen passender Stücke und Uebungen im mündlichen Vortrage; schriftliche Arbeiten.

Dir. Biedermann.

4. Religionlehre: a) kathol. Conf. 2 St. Die Lehren von Gottes Dasein, Eigenschaften und Dreipersonlichkeit; von der Schöpfung, Erlösung und Heiligung, insbesondere von der Kirche, nach Overberg; Apostelgeschichte, nach Schumacher.

Hr. Religionlehrer Reinkens.

b) evangel. Conf. (mit Tertia combinirt).

Mathematik: 3 St. Buchstabenrechnung; Congruenz der Dreiecke; die Lehre von den Parallellinien nebst den Sätzen von den Parallelogrammen; arithmetische und leichte geometrische Uebungsaufgaben.

Hr. Oberlehrer Zirkel.

6. Geschichte und Geographie: 2 St. Geschichte der alten Völker nach dem Grundrisse von Pütz, I. Bd.

Hr. Oberlehrer Freudenberg.

7 Naturbeschreibung: 2 St. Im Winter die Anfangsgründe der Oryktognosie, im Sommer die der Botanik, nach Burmeister.

Hr. Gymnasiallehrer Mockel.

Q U I N T A .

Ordinarius: Hr. Gymnasiallehrer Mockel.

1. Lateinische Sprache: 10 St. Vervollständigung der Formenlehre und Grundregeln der Syntax nach der practischen Anleitung von Lucas; Auswendiglernen von Vocabeln, besonders von unregelmässigen Zeitwörtern, von kurzen und längeren Sätzen und von ganzen Stücken; mündliche und schriftliche Uebungen.

Der Hr. Ordinarius.

2. Deutsche Sprache: 4 St. Uebersicht der ganzen Sprachlehre, besonders der Satz- und Interpunctionlehre nach Heyse's kleinerer Grammatik; schriftliche Arbeiten nebst Uebungen im mündlichen Vortrage ausgewählter Stücke aus Hülstett's Lesebuche, II. Abtheilung.

Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

3. Religionlehre: a) kathol. Conf. 2 St. Katechese nach Ontrup; Geschichte des A. T. nach Schumacher.

Hr. Religionlehrer Reinkens.

b) evangel. Conf. 2 St. Katechismuslehre, Bibellesen und Auswendiglernen von Sprüchen.

Hr. Licentiat Sommer.

4. Rechnen: 4 St. Die Verhältniss- und Proportionlehre; die Decimalbrüche; die Rechnungen des gewöhnlichen Lebens nach Kranke's Handb. II. Abtheilung; Uebungsaufgaben.

Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

5. Geschichte und Geographie: 3 St. Mathematische und physikalische Geographie; Uebersicht der Gebirge und Gewässer der grössern Continente; specielle Geographie, besonders politische von Deutschland und dem preussischen Staate,

nach Cannabich's kleiner Schulgeographie; Biographien berühmter Männer des Alterthums und des Mittelalters. Hr. Oberlehrer Remacly.

6. Naturbeschreibung: 2 St. Kurze Uebersicht der drei Reiche, dann Beschreibung der Rückgratthiere und der Insekten. Der Hr. Ordinarius.

SEXTA.

Ordinarius: Hr. Gymnasiallehrer Dr. Humpert.

1. Lateinische Sprache: 10 St. Die Formenlehre; Auswendiglernen von Vocabeln und kleinen Sätzen; mündliche und schriftliche Uebersetzungen und Extemporalien. Als Handbuch diente die practische Anleitung von Lucas.

Der Hr. Ordinarius.

2. Deutsche Sprache: 4 St. Kenntniss der Redetheile, verbunden mit den allgemeinen Grundsätzen der Satzlehre nach Heyse's kleinerer Sprachlehre; orthographische Uebungen und Anleitung zum mündlichen Vortrage. Zur Anleitung diente Hülstett's Musterbuch. Derselbe.

3. Religionlehre: a) kathol. Conf. 2 St. Biblische Geschichte bis zur Theilung des Reiches, nach Schumacher; ausgewählte Glaubens- und Sittenlehren.

Hr. Religionlehrer Reinkens.

b) evangel. Conf. (mit Quinta combinirt).

4. Rechnen: 4 St. Die vier arithmetischen Grundoperationen in ganzen und gebrochenen Zahlen. Hr. Gymnasiallehrer Werner.

5. Geschichte und Geographie: 3 St. Allgemeine Uebersicht der Erde, besonders von Europa, nach Cannabich's kleinerem Handbuche; Biographien berühmter Männer. Hr. Gymnasiallehrer Kneisel.

6. Naturbeschreibung: 2 St. Einleitung; kurze Beschreibung einiger Säugethiere, Vögel und Amphibien. Hr. Gymnasiallehrer Mockel.

B. Technische Fertigkeiten.

1. Kalligraphie: in jeder der beiden untern Klassen 2 St.

Hr. Gymnasiallehrer Dr. Humpert.

2. Zeichnen: in jeder der drei untern Klassen 2 St. und zwar

a) in Quarta: Zeichnen nach krummlinigen Körpern; Anweisung zur Aufneh-

mung landschaftlicher Ansichten; Zeichnen von Blumen, Gebäuden und Theilen des menschlichen Körpers, besonders des Kopfes;

b) in Quinta: Zeichnen nach geradlinigen und krummlinigen Körpern und fortgesetzte Uebung im Schattiren;

c) in Sexta: Zeichnen gerader Linien nach geradlinigen Körpern, ohne und mit Angebung des Schattens. Derselbe.

3. Gesang: 4 St. Die Schüler waren in zwei Klassen getheilt, von welchen die untere nach Nägeli's Tabellenwerke von den Elementen bis in den harmonisch-zweistimmigen Gesang geführt wurde; die obere bildete einen gemischten Chor, der in Messen und andern grössern Meisterwerken und im Sologesange geübt wurde.

Hr. Gymnasiallehrer Werner.

C. Körperliche Entwicklung.

Ueber die Einführung zweckmässiger Leibesübungen auch an unserer Anstalt wurde bereits in dem vorigjährigen Programme Bericht erstattet, mit dem Bemerkten, dass der Schule die Aussicht geöfnet worden wäre, einen angemessenen Turnplatz zu gewinnen. Diese Hoffnung wurde jedoch wieder vereitelt und aller Bemühungen ungeachtet konnte die Schule, da die vorgeordnete Behörde den Ankauf der Miethe vorzieht, durch die sich mehrende Zahl von Fremden aber, welche sich bei uns häuslich niederlassen, mit der Baulust zugleich die Preise der Grundstücke sich steigern, noch nicht zu dem Besitze eines in Rücksicht auf Nähe, Lage, Länge und Breite angemessenen Turnplatzes gelangen. Daher musste sie denn bis jetzt noch auf die Leibesübungen verzichten.

A n m e r k u n g e n.

1. Zur Unterstützung und Erleichterung des naturhistorischen Unterrichts hat Herr Garten-Inspector Sinning der Schule auch in diesem Jahre jede Woche blühende Pflanzen zugesendet und sie fühlt sich dafür zum innigen Danke verpflichtet.

2. Zur Förderung des sittlich religiösen Lebens der katholischen Schüler wurden diese dreimal in der Woche zum Gottesdienste in die Kirche geführt und an den Sonn- und Feiertagen war mit demselben eine religiöse Anrede verbunden. Je um die sechste Woche war Beicht- und Communionstag angeordnet und mit aller Bereitwilligkeit boten dabei die Herrn Priester in unserer Stadt der Schule ihre Dienste, so dass sie nicht umhin kann, ihnen ihren Dank auszusprechen.

II. Verordnungen

der vorgeordneten Behörden.

Durch Erlasse vom 14ten April und 15ten Juli d. J. wurden der Schule von ihrer vorgeordneten Behörde die unter dem 4ten Februar d. J. von des Königs Majestät Allerhöchst genehmigten Bestimmungen über die zukünftige Ergänzung der Officiere des stehenden Heeres im Frieden und die militairische Ausbildung der Officier-Aspiranten mitgetheilt. Da jedoch dieselben auch im Drucke erschienen, mithin für diejenigen, für welche sie zunächst Interesse haben müssen, leicht zugänglich sind, so glaubt der Berichterstatter, in diesen Blättern der nähern und weitläufigern Angabe des Inhaltes überhoben zu sein. Ausser diesen Bestimmungen finden sich unter den im Verlaufe des Schuljahrs von den obern Behörden erlassenen Verordnungen keine, welche für das Publikum von besonderem Interesse sein könnten.

III. Chronik des Gymnasiums.

1. Das Schuljahr ist am 7ten October v. J. eröffnet worden und endet am 30ten August d. J.
2. Am 15ten October v. J. wurde von Seite der Schule das hohe Geburtfest Sr. Majestät des Königs, in erhebender und angemessener Weise, mit einem kirchlichen Gottesdienste, ausgewählten Gesängen und einer Anrede gefeiert.
3. Mit dem Anfange des Schuljahrs trat der Schulamts-Candidat, Herr Dr. Peter Joseph Clemens an unsere Anstalt, um das vorgeschriebene Probejahr abzuhalten, und erwarb sich durch seinen sittlich religiösen Lebenswandel sowohl, wie durch seine Kenntnisse und Leistungen die Achtung und das Zutrauen der Lehrer und der Schüler. Allein wiederkehrende Krankheit nöthigte ihn endlich gegen den Schluss des Winterhalbjahrs, auf die Fortsetzung und Vollendung seines Probejahrs bis zu kräftigerer und dauerhafterer Wiederherstellung zu verzichten.

IV. Statistische Uebersicht.

1. Mit dem Anfange des Schuljahrs kehrten in Prima 23, in Secunda 42, in Tertia 33, in Quarta 40, in Quinta 39, in Sexta 24, zusammen 201 Schüler zurück.

2. Neuaufgenommen wurden in Secunda 7, in Tertia 1, in Quarta 3, in Quinta 6, in Sexta 41, zusammen 58 Schüler und diese bildeten mit den vorigen die Gesamtzahl von 259 Zöglingen.

3. Von diesen haben im Verlaufe des Schuljahrs, eine andere Bestimmung wäh-
lend, aus Prima 1, aus Secunda 7, aus Tertia 4, aus Quarta 5, aus Quinta 1, aus
Sexta 5, zusammen 23, die Anstalt verlassen.

4. Mit dem Schlusse des Schuljahrs werden nach geleisteter Abiturienten-Prü-
fung die Primaner

a) Maximilian Bach aus Bonn, 18 J. alt, kathol. Conf. und 8 J. Schüler
des Gymnasiums,

b) Wilhelm Bleek aus Berlin, 18 J. alt, evangel. Conf. und 8 J. Schüler des
Gymnasiums,

c) Philipp Bleek aus Berlin, 17 J. alt, evangel. Conf. und 8 J. Schüler
des Gymnasiums,

d) Simon Engels aus Siegburg, 19 $\frac{1}{2}$ J. alt, Israel. und 8 J. Schüler des
Gymnasiums,

e) August Jungbecker aus Ahrweiler, 20 J. alt, kathol. Conf. und 6 J.
Schüler des Gymnasiums,

f) Eugen v. Salomon aus Geldern, 21 J. alt, kathol. Conf. und 9 J. Schüler
des Gymnasiums,

g) Peter Spohr aus Deutz, 17 J. alt, kathol. Conf. und 8 J. Schüler des
Gymnasiums,

h) Carl Walter aus Bonn, 18 J. alt, kathol. Conf. und 9 J. Schüler des
Gymnasiums,

i) Wilhelm Wiel aus Poppelsdorf, 18 J. alt, kathol. Conf. und 8 J. Schüler
des Gymnasiums,

k) Carl Wolter aus Bonn, 18 J. alt, kathol. Conf. und 8 J. Schüler des
Gymnasiums,

mit dem Zeugnisse der Reife zur Universität abgehen. W. Bleek und C. Walter
Philosophie, Wiel und Wolter Theologie und Philologie, Bach, Ph. Bleek,
Jungbecker, v. Salomon, Spohr Jurisprudenz studiren und Engels wird sich
einem bürgerlichen Geschäfte widmen.

Fünf von ihnen wurde, in Folge der Verordnungen vom 16. Dec. 1843, unter Berücksichtigung ihrer in den beiden obern Klassen erhaltenen ehrenwerthen Censuren und des günstigen Resultates ihrer schriftlichen Prüfungsarbeiten die mündliche Prüfung ganz erlassen. Es bleibt daher noch die Anzahl vor 226 Schülern.

V. Lehrapparat.

Neben der zweckmässigen Verwendung des für die Anschaffung von Lehrmitteln bewilligten jährlichen Ratum wurde die Anstalt zugleich mit mehreren angenehmen Geschenken erfreuet und ermangelt nicht, dafür den Gebern ihren Dank auszusprechen. 1) Von ihrer vorgeordneten Behörde erhielt sie ein Exemplar der von dem Prof. Dr. Gerhard in Berlin herausgegebenen archäologischen Zeitung, Jahrg. 1844, und ein Exemplar der Abhandlung des Gymnasiallehrers Dr. Schmidt zu Wittenberg „de verborum demoveré et dimovere discrimine“. 2) Von Hrn. Geheimen-Rathe Wahlert in Coblenz wurden ihr 50 Exemplare seines Festgesanges zum 15. Oct. zugesendet. 3) Von Hrn. Prof. Dr. Lassen erhielt sie zum Geschenke: Aristophanis Lysistrata ed. R. Enger, und Burnouf, méthode pour étudier la langue Grecque, Paris 1825. 4) Von Hrn. Conservator Dickert in Poppelsdorf wurde ihr ein werthvolles Geschenk gemacht, bestehend in einer von ihm selbst gefertigten Darstellung des Siebengebirges, in einem schönen mit Glase versehenen Kasten. 5) Herr Lehrer Wiel in Poppelsdorf erfreute sie durch eine von ihm gesammelte, in einem Glaskasten niedlich aufgesteckte bedeutende Anzahl von Tagfaltern, welche in der Gegend von Bonn zu Hause sind. 6) Herr Juwelier Dernen vermehrte unser Cabinet durch mehre preiswürdige Mineralien. 7) Herr Uhrmacher aus Cassel überschickte uns viele merkwürdigen Basaltstücke aus dem benachbarten Gebirge.

VI. Beneficien.

Ausser der Stiftung des Herrn Priesters Minola, aus welcher für das lauf. Jahr das jährliche Ratum von 30 Thlr. in zwei Hälften einem Unterprimaner und einem Untersecundaner zuerkannt worden ist, und der des Herrn Prof. Dr. Breidenstein (siehe das Programm von 1842) über die das Lehrercollegium übereingekommen ist, den Betrag von 82 Thlr. 12 Sgr. vor der Hand durch die Zinsen zu einer vollstän-

